

Si aliquando rescribas, mittas copiam characteris generici Sanguinis Draconis a Crantzio compositi, nec non ejus characterem Palmæ cujusdam.

An altera Flora Helvetica Halleri prodierit, et qua forma? Queri Flora Hispanica numquam sese mihi obtulit; an eam vidisti?

His vale et me Tuis sinceris annumera.

Upsaliæ 1769 d. 4 Martii.

a Monsicur Mons^r M. Th. Brunnich
abzugeben bey den Herr Albert Fridr. Gregorij
frij br. Dresen

(6) Celeberrimo Professore
D. D. M. T. Brunnichio
Amico sincero

s. pl. d.

Car. Linné

Tuas e valle Joachimi gratissimas hodie accipi, et lætor quod jam liceat Tuis sæpius frui.

Gratulor non tantum faustum in patriam reditum, sed maxime gratulor Tibi dignum munus professorium, quod in Te optime contulit Ser. Rex Daniæ; nec potuit hoc unquam in digniorem, diligentiore et doctiorem conferre. Faxit Deus ut diutissime hoc officio fungaris, cum inde multum augmenti reportabit orbis eruditus.

Inclusum Dipterum, quod avidissime excepi, proxima species est Culici Equino, distincta tamen; molestet procul dubio boves, sed quomodo enecet non capio.

D. Scopoli novi et ejus scripta, tam botanica quam mineralogica; et ex iis vidi quo usque pervenit; novi et Jaquinum, virum vere nobilem et eruditum.

Avidissime Tuam Ichthyologiam videre exopto; certus sum quod D. Gouan nihil de Tuis detrahat, qui Te omnibus numeris longe inferior sæpè existat.

Non dum videre contigit Halleri Floram Helveticam novam, quam avidissime videre gestio.